in diligentes se. Qui timet dominum nihil
trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse
est spes eius. Timentis dominum beata est
anima. Ad quem respicit, et quis est fortitu-
do eius? Oculi domini super timentes eum, protec-
tor potentie, firmamentum virtutis, te-
gimen ardoris, et umbraculum meridi-
ani, deprecatio offensionis, et adiuto-
rium casus, exaltans animam, et illumi-
nans oculos, dans sanitatem, et vitam,
et benedictionem. Immolantis ex iniquo
oblatio est maculata, et non sunt beneplaci-
te subsannationes iniustorum. Dominus
solus sustinentibus se in via veritatis
et iustitie. Dona iniquorum non probat al-
tissimus, nec respicit in oblationi-
bus iniquorum, nec in multitudine
sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui
offert sacrificium ex substantia pauperum,
quasi qui victimat filium in conspectu patris
sui. Panis egentium vita pauperis est,
qui defraudat illum homo sanguinis est.
Qui aufert in sudore panem, quasi qui oc-
cidit proximum suum. Qui effundit sangui-
nem, et qui fraudem facit mercennario,
fratres sunt. Unus edificans, et unus destru-
ens: quid prodest illis nisi labor? Unus orans,
et unus maledicens: cuius vocem exaudi-
et deus? Qui baptizatur a mortuo, et ite-
rum tangit illum, quid proficit lavatio
illius? Sic homo qui ieiunat in peccatis su-
is, et iterum eadem faciens, quid proficit humi-
liando se? orationem illius quis ex-
audiet? XXXV

Qui conservat legem, multiplicat
orationem. Sacrificium salutare est at-
tendere mandatis, et discedere ab omni ini-
quitate. Et propitiationem litare sacri-
ficii super iniustitias, et deprecatio pro peccatis
recedere ab iniustitia. Retribuet gra-
tiam qui offert similaginem, et qui
facit misericordiam offert sacrificium. Bene-
placitum est domino recedere ab iniquitate,
et deprecatio est pro peccatis recedere ab ini-
ustitia. Non apparebis ante conspectum dei
vacuus. Hec enim omnia propter mandatum
domini fiunt. Oblatio iusti impinguat al-
tare, et odor suavitatis est in conspectu al-
tissimi. Sacrificium iusti acceptum est,
et memoriam eius non obliviscetur dominus.
Bono animo gloriam redde deo, et non mi-
nuas primitias manuum tuarum. In omni
dato hilarem fac vultum tuum, et in ex-
ultatione sanctifica decimas tuas. Da alti-
ssimo secundum datum eius, et in bono oculo ad-
inventionem facito manuum tuarum,
quoniam dominus retribuens est, et septies tan-
tum reddet tibi. Noli offerre munera prava,
non enim suscipiet illa. Et noli inspicere
in sacrificium iniustum, quoniam dominus iu-
dex est, et non est apud illum gloria persone.
Non accipiet dominus personam in pauperem,
et deprecationem lesi exaudiet. Non des-
piciet preces pupilli, nec viduam si ef-
fundat loquelam gemitus. Nonne
lacrime vidue ad maxillam descendunt,
et exclamatio eius super deducentem eas?
A maxilla enim ascendunt usque ad ce-
lum, et dominus exauditor non delectabitur in illis.
Qui adorat deum in oblectatione suscipietur,
et deprecatio illius usque ad nubes ap-
propinquabit. Oratio humiliantis se
nubes penetrabit, et donec propinquet
non consolabitur, et non discedet donec aspiciat
altissimus. Et dominus non elongabit, sed iu-
dicabit iustos, et faciet iudicium.
Et fortissimus non habebit in illis patientiam,
ut contribulet dorsum ipsorum, et genti-
bus reddet vindictam, donec tollat ple-
nitudinem superborum, et sceptra iniquorum
contribulet, donec reddat hominibus secundum actus
suos, et secundum opera Ade, et secundum presumptionem
illius, donec iudicet iudicium plebis
sue, et oblectabit iustos misericordia sua. Spe-
ciosa misericordia dei in tempore tribulationis, quasi
nubes pluvie in tempore siccitatis. XXXVI

Miserere nostri deus omnium, et respice nos, et
ostende nobis lucem miserationum